

60217.-

82

# ORATIONEM



Q V A

ESTICA

A. 1903.

*VIR CLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS*  
**JO. CHRISTIANVS DREYERVS**

MVNVS PROFESSIONIS POETICAE AC LINGVAE GRAECAE  
SVSCIPIET,



PVBLICE HABENDAM

INDICIT

**ERNEST. AVGVST. WILH. HOERSCHELMANN,**

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR, SOCIETATIS  
TEVT. JENENSIS SOD. H. T. RECTOR.



BIBLIOTH:  
ACADEM:  
DORFAT:



REVALIAE,

D. VII. CAL. NOVEMBR. MDCCLXX.

ESTICA  
A. 1903.



§. I.

omnibus falsis, si modo cogitari possint, vera quaedam esse adiuncta, bene ac perquam vtiliter docuit LAMBERTVS. Inde enim saluberrimum illud, quod philosophantibus potissimum prodest, efficitur, nimirum, ne vnquam errorem quendam prorsus ac statim reiiciant, immo vero adhibeant iudicium atque animaduertant, annon ad veritatem aliquam propius accedere ac tandem ad liquidum eam explorare possint. Cum eadem vtilitate, *omnibus veris falsa quaedam esse adiuncta*, Romanorum docuit Philosophorum facile princeps, CICERO. Ac mihi quidem, tametsi haud quaquam hanc summi Viri sententiam sine vlla dubitatione defendi posse putarem, ea tamen ideo ponderosa esse videtur, quoniam quaerentes, quid quaque de re sentiant, magnopere hortatur, vt cuncta acres atque diligentes examinent, et prudenter ab omnibus assensionem cohibeant, in quibus inesse probatissimam iudicandi atque assentiendi notam, non satis exploreate perceperunt. Sunt quoque reapse hominum sententiae, quibus nihil certius, nihil quoque tum ad probandum, tum ad conuincendum accomodatius videtur, quae nihilominus tamen et multas cautiones habent, et omnino eiusmodi quid continent, quod tantum abest a veritate, vt nihil magis veritati possit esse contrarium. Eius quidem generis dogma, de immutabilitate diuina, esse existimo, in quo alias boni omnes vno ore consentiunt, cui tamen inest aliquid, quod, subtilius quaesitum, a veritate alienum, neglectum vero veritati periculosum habendum esse puto. Quo de loco in praesentia vtile mihi visum est disputare, non quidem ita, vt omnem eius loci quaestionem plene cumulateque perfi-

ce-

Est.

TRU. Kozmatukog.

3173

128564315

cerem, sed vt solum id, quod a plurimis neglectum adhuc fuit, quam breuissime exponam idque dicam, quod quinque paginis non dici potest, sed quod ego dicere possum. Incurreret forsā hic meus labor in varias Momorum reprehensiones: incurrat, non mouebor. Haud enim nescio, *Momi* patrem somnum, matrem autem noctem fuisse; et hoc magnum mihi erit solamen; multo tamen maius erranti mihi illud, quod e LAMBERTO protuli: omnibus falsis vera quaedam esse adiuncta.

LAMBERTVS in org. Alethiol. §. §. 193. 194. 202. CIGERO de natura deor. Vol. 4to ed Ernest. p. 472.

§. 2.

Ego quidem, quod fanus nemo negare nec debet nec potest, Deum non vna ratione immutabilem dicendum esse confiteor; quippe tanta est eius perfectio, vt maior nec ab homine, nec a spiritibus aliis, nec ab ipso etiam Deo possit cogitari. Quod cum fatis contemplati sumus, quid potest esse tam apertum, tamque clarum, quam numen, quod veneramur, summum perfectissime semper extitisse, perfectissimam semper naturam ac attributa habuisse, atque etiam perfectissima ac grauissima de rebus totius mundi consilia suscepisse; his omnibus nec quicquam addi, nec quicquam adimi, nec consilia sapientissima immutari unquam posse; cuius, inquam, tanta erit audacia, vt haec, quae luce meridiana clariora sunt, negare sibi fumeret? Si igitur, inquires forsā, ita Deum immutabilem statuis, qua tandem ratione eum vel cum specie aliqua veritatis, mutabilem dices? præbeas te mihi attentum, et, quod sentio, tuebor measque qualescunque subiiciam demonstrationes.

§. 3.

Prima huiusmodi est. Constituto temporis puncto vniuersum Deus creauit mundum omniaque e nihilo produxit.

duxit. Factum id est sine dubio potentissima quadam voluntatis diuinae operatione. Haec ipsa autem operatio efficacissima non antea in Deo potuit adesse. Tum enim mundus extitisset, priusquam existeret aut existere deberet (quid enim operationi diuinae impedimentum inferre potuisset?) Quod autem quum sit maxime absurdum, exorta sit necesse est, operatio ista in Deo eo ipso temporis puncto, quo mundum producere volebat; aliquid igitur noui euenit in ipso, quod antea haud adfuit; et facta proinde est mutatio quaedam in Deo. Obiicis mihi: consilium mundi creandi ab aeterno in Deo extitisse. Extitit omnino. Sed solo eo consilio aeterno non potuit mundus creari, quoniam tum ab aeterno esset creatus. Mundus autem ab aeterno creatus nil aliud est quam res orta, nunquam orta, i. e. A et non A. Iterum opponis, consilium illud id ipsum complexu suo continuisse, vt mundus constituto tempore exoriatur; eum proinde hoc tempore exortum esse. Prius equidem concedo, at nego posterius; ideo scilicet mundum iusto tempore exortum esse. Nulla enim noua interueniente voluntatis diuinae operatione, mundus a se ipso exortus esset, necesse est; quod autem dici non potest, quum sit sanae rationi contrarium.

§. 4.

Altera sic procedit. Mundus se ipsum conseruare haud potest. Ab alio igitur ut conseruetur, necessario inde fluit. A quonam autem alio, nisi a Deo? Quod iterum operationem aliquam voluntatis diuinae requirit, quae non ab aeterno in Deo adfuit; mundi enim nondum existentis conseruatio nec possibilis erat, nec etiam necessaria. Et hoc iterum nobis perspicuum reddit, mundo creato, aliquid in Deo esse ortum, quod antea haud adfuit, mutationem igitur aliquam esse factam. Quod si quis et huic demon-

demonstrationi contradiceret, atque huius vniuersi conseruationem decreto alicui aeterno attribueret adscriberetque; is nullum aliud, nisi apertum illud, et, vt mihi videtur, verissimum, quod §. 3. complectitur, responsum a me auferret; decretum scilicet mundi conseruandi ab aeterno quidem in Deo fuisse; sed, quando postea mundus reapse conseruandus veniebat, nouam voluntatis diuinae operationem accedere debuisse, quippe sine qua semper mundus, aut sui ipsius conseruator habendus, aut nullum plane habuisse dicendus esses; quod vtrumque ita est absurdum, vt nullo modo assumi ab homine sano possit.

§. 5.

Tertia haec esto. Noua semper operatio in Deo prouenire debet, quando miracula facit, eius quidem generis, quo, quicquid producit, naturam rerum et vires magnitudine superat sua; quae et fieri posse, sana ratio satis luculenter quemcunque docet; quis enim fines constituet infinitae summi numinis potentiae? et non admodum raro facta quoque esse, relatum legimus in scriptura sacra, cuius auctores ita sunt fide digni, vt, qui dignior sit, neminem reperiamus. Filius Dei homo est factus. Excitatus est a mortuis. Excitabuntur tandem omnes homines a mortuis. Mundus interibit. Naturali autem rerum efficientia fieri ea haud posse, immo vero ad ea efficienda Dei ipsius opus esse operationem, quis est, qui facile haud videat? Atque si non omni tempore, sed praestituto quodam, fieri ea debeant, eo ipso momento oriri debere, de qua loquimur, voluntatis diuinae operationem, quis, quaeso, inficias ibit? Hac igitur ratione ductus, sententiam meam, quod mutationes in Deo accidant et accidere possint, vltius tenendam putavi.

Erga peccatorem non potest Deus eodem modo affectus esse, quo erga virtutem. Habeat, necesse est (cum HUTCHESONIO loquor) vim aliquam sentiendi, quae similitudinem sensus nostri moralis speciemque gerit, et qua nonnullae spirituum actiones eius sunt generis, ut mirificam ex iis capiat Deus voluptatem, aliae autem eius, ut displicent atque perodiosae sint ipsi. Hac quoque ratione voluntatis diuinae vicissitudo adesse videtur. Si enim nemo mortalium peccar<sup>et</sup>, atque, quae sanctissimo Deo adeo iniucunda sunt, facta quaecunque iniusta, inhonesta, indecora, neque fierent inter homines, neque vnquam cogitarentur, abesset ne tum a Deo aliquid, quod nunc in ipso inesse et ratio docet, et ipse testatur Deus? Aut credis forsitan, displicentiam illam nonnisi, ut loquuntur, pro nostro concipiendi modo locum habere in Deo? Equidem ego huic assentiri, nescio quomodo possim, nisi simul etiam bonam in homines voluntatem, gratiam et singularem Dei misericordiam, pro nostro tantum concipiendi modo Deo inesse statuerim.

Hutchesons Sittentehre S. 224.

Erunt sane, qui rationes hasce omnes, primis tantum lineis a me designatas, unico quasi ictu caedi posse putabunt, prouocantes ad id, quod toties ab aliis e. c. WOLFIO, CARPOVIO dictum est atque expositum, nullam prorsus in Deum cadere mutationem, neque, ut CARPOVIVS disertis addit, physicam neque moralem, quum Deus sit et perfectissimus et absolut<sup>o</sup> necessario existat. His autem responderem, ea ex ratione nonnisi eiusmodi mutationes a Deo excludi, quae imperfectionem aliquam aut contingentiam in eum inducunt; non autem eas, quae neque naturam Dei, neque infinitas eius proprietates perfectio-

fectiores aut imperfectiores efficiunt, et quae tamen necessario requiruntur, si ea fieri debeant, quae ipse Deus facere decreuit; cuiusmodi sunt, quas antea argumentis quibusdam Deo adscribendas esse defendimus. Atque si hanc meam sententiam in omni omnino memoria inauditam atque nouitatem clamarent, remitterem eos ad CLERICVM, quem si audire velint, vnum atque idem audirent et acutissimum hunc philosophum in eo, quod caput rei est, mecum concordare reperirent.

WOLFIVS Theol. nat. post. part. §. 9. 17. Edit. Francof. 4.

CARPOVIYS Theol. reuel. part. I. §. 509. scol. 2.

CLERICVS opp. philos. Pneumatol. p. 149. Amstel. MDCCV.

§. 8.

Cur autem, quaeris forsan, tam argute haec sunt disputata? quem vsum adferunt haec tua ratiocinia? Vtilia sunt, mea quidem sententia, ad exercitationem in cognoscenda veritate. Veritatem enim lucrum quam plurimum facere, quando quaestio quaedam in controuersiam venit atque liberius, quod quisque sentit, de ea dicitur, egregie docuerunt HVMIVS et COLLIN. Atque, si, quam defendi, sententia in eandem claritudinem semper peruenisset, in quam, quod Deus immutabilis sit, peruenit, defuisset EDELMANNO argumentum, quod protulit, praecipuum pro mundi aeternitate. Ex immutabilitate enim diuina totum mundum ab aeterno extitisse colligebat; quos autem in errores ducere, quod detrimentum adferre possit haec de mundo aeterno sententia, ipsius loquitur exemplum EDELMANNI.

HUME oeuvres phil. P. I. p. 42.

COLLIN la liberté de penser. p. 6. 16. seqq

Edelmanns Glaubens Bekenntniß 1746. 4. p. 227.

Indicam nunc ea, quorum indicendorum causa plagulam hanc edidi. Craftino nimirum die publice suscipiet

mu-

contulit

munus professionis poëseos et linguæ graecæ in Gymnasio nostro imperatorio Vir clarissimus atque doctissimus Jo. CHRIST. DREYERUS, qui Børdesholmæ Holfatorum MDCCXLIII prid. Cal. Jul. patre Philippo Augusto, Pastore meritissimo, matre autem Christ. Sophia OWMANNIA, natus est et postquam ad annum usque ætatis decimum octauum præceptoribus patre aliisque felicissime est usus, in Academiam Helmstadiensem selectionibus celeberrimorum virorum SCHVBERTI, CARPZOVII, TELLERI, von der HARDTI, BEIREISSII, SCHVLZII et FROMMINGII quam diligentissime interfuit. Adscriptus hic societati Teutonicæ, Göttingam demigravit ac disciplina HEVMANNI, FEVERLINII, HOLMANNI, MICHAELIS aliorumque cum eodem prosperrimo successu est usus. Quatuor annis ita peractis, primum in patriam, tum in Liuoniam et tandem Petroburgum profectus est, ac, ubicunque locorum fuit, iuuenes multos, summo loco natos, artes liberales atque linguas latinam, gallicam et anglicam cum multorum virorum applausu docuit. Satis ita in docendo exercitatum, Senatus ciuitatis nostræ amplissimus, consentiente Serenissimo Principe, ad munus publicum in Gymnasio nostro vocauit et crastinus dies est exoptatus ille, quo recitata oratione, *de Poëseos natura et præstantia, graecorum auctorum lectione quam maxime promouenda*, Vir Clarissimus munus demandatum suscipiet.

Serenissimum Principem nostrum, omnes, qui copiis præsunt, nobilissimum equitum ordinem, amplissimum ciuitatis Senatum, Ministerium summe reuerendum, vtrumque ciuium ordinem honestissimum et cultores scientiarum quoscunque, vt hora XI. a. m. in auditorio maiori ad oratorem audiendum conueuiant, humillime, obseruantissime, amice etiam atque etiam rogo.



TRD Saamatukogu

R Est.  
A-1903